CHRIST… Autor,
…rum,
Dum … eius esto
… liber!

Notandum ex hoc libro
de Melanchtone pag-- 215
quod sit Sacramentarius
de Brentio quod iis etiam
in nonnullis faveret 220.

D. O. M. A. E. C.

Disputatio II.

*COLLEGII CORPORIS DO-
ctrinæ Prutenicarum Ecclesiarum,*

DE PRINCIPIO NORMALI, SIVE CANONICO adeoq; Scripturâ sacrâ.

SUB PRÆSIDIO

COELESTINI MISLENTÆ,
SS. Th. D, eiusdem, ut & Hebr. lingvæ Profess. Ordinar. Consistorii Sambiens. assessoris.

RESPONDENTE

M. LAURENTIO WEGERO,
Borusso.

*Publicè in Auditorio majori
7. Iunii habenda.*

REGIOMONTI,
Typis Laurentii Segebadii, Anno 1624.

VIRO

Reverendo, Nobilißimo, Clarißimo,

Dn. BERNHARDO DERSCHOVIO, SS. Theol. D. Ecclesiæ Palæopolitanæ apud Regiomontanos Pastori vigilantissimo,

UT ET

Viris Amplißimis, Consultißimis, Spectatißimis,

Dn. Johanni Gorio,

Dn. Christophoro Rhodomanno,

Dn. Hiobo Lepnero.

Reipubl. Palæopolitanæ Senatoribus dignissimis.

Dominis & Fautoribus suis submissè colendis

Hanc Theologicam disputationem dedicat

M. LAURENTIUS VVEGER Respondens.

Disputatio II. Generalis

De principio Normali, sive Canonico adeoque Scripturâ Sacrâ.

Respondente M. Laurentio VVegero.

Rectè initiò auctores Corporis Prutenici, soliciti fuère de Fundamento, sive de Normâ, tùm pacis stabiliendæ inter dissentientes in hoc Ducatu; tùm Articulorum asserendorum, ac repurgandorum ab inquinamentis impurarum Hæresium; tùm rituum Ecclesiasticorum ad Ecclesiæ ædificationem conferentium, conservandorum.

2. Quorum nos etiam vestigiis insistentes, præsenti Dissertatione, paucis de Scripturâ Sacræ collationem instituemus, acturi 1. De Scripturę definitione Nominali, 2. de definitione reali, 3. de Affectionibus.

De Primo.

3. Scriptura deducitur à scribendo, ac usurpata reperitur in sacris, & profanis. Hocce prætermisso usu, considerandū venit ratione usus sacri, quot modis Scripturę appellatio occurrat.

4. In universum autem tenendum est Scri-

pturam usu sacro capi, vel analogicè, vel metaphoricè, vel propriè.

5. Analogicè sumitur, quoties Scripta tum Apocrypha, tùm Ecclesiastica Scripturæ S. nomine veniunt, nimirum ob analogiam & convenientiam cum Scripturis canonicis: propter quam & per quam, in tantùm de veritate, & auctoritate, nec non certitudine participant; in quantum ad Scripturas Propheticas, & Apostolicas accedunt, cum iisq; conspirant.

6. Metaphoricè capitur, vel in malam partem; quo sensu Jer: c. 17. v. 1. peccatum Judæ scriptum esse perhibetur stilo ferreo, & ungve Adamantino exaratum in cordibus: vel in bonam, idq; vel pro decretis DEI Dan: 10. v. 21. Jud. v. 4. Apoc: 13. v. 8. &c. vel pro impressione aut implantatione divina, adeoq; internâ inscriptione tum legis Veteris Moralis Esa: 51. v. 7. Rom: 2. v. 15; tùm legis Novæ vel fidei Jer: c. 31. v. 33. 34. Hebr: 8. v. 10. c. 10. v. 16.

7. Propriè idq; sub triplici consideratione, 1. ex parte materialis, adeoq; vel pro signaturà vel scriptione DEI, de qua Joh: 8. v. 6. 8. vel pro signis Verbi DEI, tum ex parte; quoad Legem Moralem in tabulis exaratam, quæ quidem signa, non tàm erant propriè scripta, quam creata per divinam potentiam: Huc pertinet scriptio illa Dan: 5. in pariete conspicua; tùm ex toto, adeoque pro charactere Biblico, eoq; vel originali, Hebræo, Chaldæo & Græco, quo Codex

sacer

facer eſt exaratus; vel Adventitio, ex humanâ translatione, ac induſtria profecto: qui per analogiam duntaxat ſacer vocari poterit; in quantum ad originalem accedit, ejusdemq; formale repræſentat. Talis character apud varias gentes eſt varius, 2. ex parte formalis, & ſic ſcriptura ſumitur pro ſententiis per ſcripturam literarum ac characterum repræſentatis; quę conſideratio ſcripturæ eſt ἐκ ἀφαιρέσεως, nominato quidem materiali, & formali ſimul; & ſolo formali ſubintellecto. 3. Ex parte materialis, & formalis ſimul, & ſic Scriptura S. capitur pro verbo Dei ſcripto, ſive doctrinâ divinitùs patefacta, & in ſcriptis Prophetarum, & Apoſtolorum comprehenſa. Quæ conſideratio Script. S. eſt ἐκ προθέσεως, ſive in concreto.

8. Prior acceptio propriè ad Grammaticam pertinet; ſecunda ante Canonis conſtitutionem locum habuit; Tertia noſtro ſeculo poſt tempora Apoſtolorum abſoluto Codice Biblico eſt uſitata: de quâ etiam in ſubſequentibus membris ex profeſſò agendum reſtat.

De Secundo.

9. Eſt autem Scriptura S. Verbum divinitùs patefactum, in ſcriptis Prophetarum & Apoſtolorum comprehenſum, huncq; in finem ordinatum, ut homines in fide ſalvificâ, & moribus inſtituat ac informet.

10. Generis loco ponitur Verbum Dei, quod magis propius, ac proprium esse constat; quàm vel Instrumentum, ut vult Trelcat: vel signum, ut *Keckermann*: & *Martin*: cum aliis Calvinianis; vel Testamentum, ut *Aretius* loc. 49. p. 564. vel fœdus Dei, uti *Rolloc.* de vocat. Efficac: cap. 6. pag: 48.

11. Impingunt in genus assignatum etiam *Pontificii*, negando Scripturam sacram per Verbum Dei definiri posse.

12. Tertiò *Schwenckfeld:* qui negat Scripturam sacram propriè dici posse Verbum Dei: hoc enim fingit esse solum Dei Filium: cui favent quotquot retinent distinctionem in Verbum Dei externum & internum; hocce propriè Verbum Dei esse; adeoque per ipsum λόγον hypostaticum explicandum contendunt: id quod facit *Osiander* in Confessione Senatui Noribergensi exhibita Anno 1525. heicq; Regiomonti Anno 1551. typis divulgatâ, & cum eo *Rathmann:* *Minister Dantiscanus* im Bedencken contra Dn. Dieteric: in appendice: VVeigelium & alios fanaticos secutus.

13. Nos inter Scripturam & Verbum DEI nonnisi formale discrimen admittimus.

14. Distinctionem porrò Verbi in Internum, & Externum modalem agnoscimus, adfir-
p. 472 mando, unum ac idem per omnia Verbum esse: Internum verò appellari ob effectum salutarem, quem interius in homine producit: Externum

verò

verò, ob effectum salutaritèr à subjecto impeditum. Ubi ab eventu si quis morosè distinctionem realem urserit; nos ipsi opponemus absurdum ἀδιάλυτον: non esse unum & idem semen quod in agrum fertilem & petrosum projicitur, ideo quia in illo fructificat; in hoc verò secus? Id quod contra Salvatoris sententiam Luc: 8. Matth: 13. Mar. 4.

15. Differentia in Definitione ex classe Relatorum est desumta. Primò occurrit *Relatum*, quod est ipsum Materiale in phrasibus, vel vocibus Verbi DEI, sive Scripturæ S. consistens, idq; non simpliciter; sed complexim.

2. *Correlatum*, quod est ipsum formale in rerum significatione consistens, per Scripturam & voces repræsentatum. Circa quod tenenda axiomata:

1. *Formale seu sensum Sacrarum literarum esse* U*num per se*, quem tùm auctoris intentio, tùm rei significatæ natura importat: contra *Pontificios*, qui plures quam unum sensum Sacrarum literarum fingunt. *Bellarmin: lib.* 3. *de Verb:* DEI, *cap.* 3. *Gregor. de Valent.* super *Thom: part.* 1. *Summ. Quæst.* 1. *artic.* 1. *Salmer. tom.* 1. *oper. prologom.* 8. *fol:* 79.

2. *Ex solo sensu literali argumenta valida, & efficacia esse petenda.*

3. *Sensum Scripturæ literalem etiam in non regenitos, vel non renatos cadere posse:*

Contra Pontifi: *Staplet: Canisium, Pistor. Hosium,*

Mulhusin. *Huntlæum*, &c. & Calvinian: *Keckerman*: *lib.1.Syst.Theolog.c.9.p.195.Hoffmann.*&c.

3. *Fundamentum*, seu causa Efficiens primaria hujus Relationis, videl: Revelatio, seu patefactio divina, ac institutio; quę Verbis & Phrasibus Scripturæ S. significandi vim, & auctoritatem divinam imponit, confert ac confirmat. De quâ axioma 1. *Revelatio divina seu patefactio efficit, quod extet aliqua disciplina supernaturalis, vel Theologica.*

2. *Revelatio vel Patefactio divina non est principium Logicum; sed Physicum cognoscendarum rerum Theologicarum*; sicuti dictamen vel lumen rectę rationis principium est assensus non Logicum, sed Physicum:

3. *Patefactio igitur divina non assumitur ceu medium ad probandas conclusiones Theologicas, sed præsupponitur, adeoque ceu remotum extra, ac supra discursum consistit.*

Sequitur 4. *Terminus* seu finis Scriqturæ S. estq; salutaris hominum in fide, & moribus instructio; nec non salutis & sanctificationis operatio. Notentur axiom:

1. *Finis Scripturæ S. ex parte* DEI, *ejusq; intentione respectu hominum est unicus non geminus*, contra *Calvinian:* Scripturæ S. duplicem finem fingentes ex DEI intentione; unum quidem ut Electi per verbum convertantur, credant, & salventur; alterum, quò reprobi per auditum Verbum indurentur, excæcentur, & interitum sibi accersant.

ſant. Ita ſentit *Rennecher*: in aureâ catena c. 24. p. 169. *Piſcator* contra Taufrer: p. 29. & in reſp: ad Apolog: *Bertii* p. 600. cum *Calvin*: lib. 3. Inſtit. c. 24. ſ. 8. 12. & 13.

2. *Finem Scripturæ S. DEus vult efficaciter operari in omnibus hominibus, eisque illum actu conferre intendit.* contra *Calvinian*: finem Scripturę S. ad ſolam Eccleſiam, adeoq; ad ſolos Electos reſtringentes. *Keckerm*: lib. 1. Syſt: Theolog: c. 8. p. 168. Terminus ſive Finis, inquit, Verbi divini eſt, ut hoc medio Electi dirigantur in fide ac vitâ. conf. p. 170. 177. lib. 3. c. 7. p. 437. *Piſcat*: in reſponſ: ad amic. Duplicat. Vorſt. part: 3. p. 194. *Alſted*: in Theolog: Didact. Scholaſt. ſect. 1. c. 7. Theorem. 5. p. 36. & c. 9. Theorem: 2. p. 47. & Theor: 4. *Marc*: *VVendelin*: de prædeſtinat: c. 3. p. 15. & c. 15. p. 80. & ſeq. cum *Calvin*: lib. 1. Inſtit: c. 2.

3. *Finem Script. S. vult* DEus *omnibus conferre ordinariè mediante Verbi ſui auditu*. Rom: 10, 17. Contra *Enthuſiaſtas* & *Calvinianos*, contendentes. Deum corda noſtra regenerare, ac flectere non per verbum prædicatum: ſed per occultum quendam Spiritus afflatum. *Piſcat*. in volum: diſput. 1. Loc: 1. Theſ: 2. & diſput: 2. Theſ. 5. *Alſted*. in Theol: Didact: c. 3. p. 10. & lib. 1. præcogn: Theolog: c. 16. cum *Calvin*. lib. 1. Inſtit. c. 2. §. 39.

De Tertio.

16. Duo ſunt rei alicujus momenta, quædam *conſtitutiva*, quædam *conſecutiva*; quibus etiam

iam ab aliis rebus discriminatur. Sic Scripturæ S. momentis Constitutivis expeditis contemplabimur paucis momenta ejusdem consecutiva, quorum beneficio Scriptura S. ab aliis scripturis profanis, Ecclesiasticis, Apocryphis, &c. nec non Verbum Dei ab alio quovis Verbo discrimen sortitur. Ex multis autem sequentia producimus.

1. Scriptura S. est *Divina*. 2. Tim: 3. v. 16. Θεόπνευστος 2. Pet: 1. v. 19. contra Pontificios profanè statuentes: Scripturæ S. nil divinitatis inesse: quę formalia sunt *Andrad*. l. 3. pro Concil: Tridē.

2. Scriptura S. est *Verißima* Psal: 119. v. 43. 86. 142. 151. 160. Psal: 33. v. 4. & 91. v. 1. 2. Sam. 7. v. 28. Joh: 17. v. 17. 19. Gal: 3. v. 1. Col. 1. v. 5. Tit. 1. v. 1. 2. Tim: 2, 18. c. 3. 8. Jac: 1. 18.

3. Script. S. auctoritate, omni quâvis alia *Majore* & *Priore* est prædita. *Priore* quidem, quia Scriptura S. est ultima in resolutione: ita omnium prima in compositione omnium dogmatum credibilium, & moralium: *Majore* verò, quia superat omnem humanam imò Angelicam, ipsius insuper Ecclesiæ auctoritatem, Johan: 5. v. 36. 37. Gal: 1. v. 8. Contra Pontific: qui Scripturæ auctoritatem ab Ecclesiæ auctoritate suspendunt. *Huntl*. contr. 1. c. 15. 25.

4. Scriptura S. est *dilucida*, & *perspicua*, Psal: 119. v. 105. & Psal: 19. v. 9. Contra Pontific. Scripturam obscuritatis incusantes. Bell. l 3. de V. D. c. 1. Coster: in Enchir: p. 52. Huntl. de V. D. c. 21. f. 101. &c. cum quibus etiam facit M. *Rathman*:

Verbum externum, vel Scripturam S. in morem Nubis tenebricosę, obſcuram eſſe contendens: in cop. Demonſtr.

5. Scriptura S. eſt *perpetuæ durationis*, Eſa. 40 v. 7. Pſal: 33. v. 11. Pſal: 119. v. 89. 96. 142. 144. 152. 160. 1. Petr. 1. v. 25.

Contra *Pontific.* Scripturam poſt fidem, & Eccleſiam in V. T. duobus millibus annorum, in N. T. aliquot annis poſt miſſum Spiritum S. cœpiſſe, ajentes. *Huntl.* d. l. contr. 2. Coll. p. 206. Bellar: eamq; interitui obnoxiam eſſe adfirmantes, quos ſequitur M. *Rathmann:* in Quæſt: remiſſ. p. 15

6. Scriptura S. eſt omnium *certiſsima* Luc: 1. v. 4. *firmiſsima*, & *immutabilis*, Pſal: 93. 5. Luc: 21. 33. 2. Pet: 1. 9.

Contra Pontific: Scripturæ certitudinem, firmitatem, & immutabilitatem derogantes, *Huntl.* Controv. 2. d. Eccleſ. c. 11. p. 206. §. 2, 3. inſtarq; naſi cerei eam ſeſe habere clamitantes: ita loquitur *Albert. Pighius* d. Eccl. controv. 3.

7. Scriptura S. reſpectu fidei eſt ordinariè *neceſſaria*: Hæc enim ex illa ceu fructus ex ſemine naſcitur, Luc: 8. v. 12. 13.

Contra Pontific: Scripturæ nullam neceſſitatem ratione fidei agnoſcentes. vid. *Huntl.* d. l. §. 5. p. 206. 207.

8. Scriptura S. eſt *Signum*, & nota manifeſta, quâ diſtingvuntur fideles ab infidelibus. Deut: 4. v. 8. Pſal: 81. v. 5. Pſal: 147.

Contra Pontif: per Scripturam verè fideles

ab

ab infidelibus minimè diſtingui ſtatuentes. *Hunt.* p. 207. §. 6.

9. Scriptura ſacra eſt *perfecta* & *ſufficiens*, quâ fidem ſalvificam & mores. Pſal: 19. v. 8. Deut: 4. v. 2. c. 12. v. 32. Prov. c. 30. v. 5. 6. Apoc: 22. 18. Gal: 1. v. 8. 9. 2. Tim: 3. v. 16.

Contra Pontif: Scripturam imperfectionis, & inſufficientiæ accuſantes, eiq; Traditiones aſſuentes, quibus ſalutis, & morum ratio fulciatur. *Bell:* l. 4. d. V. D. c. 3. 4. & 5. *Caniſ:* in Catech: c. 5. *Lindan.* Panopl. l. 4. c. 100. *Petr.* à Sot. contra Brent. *Huml.* Controv. 1. de V. D. c. 27. ſequ. uſque ad fin. & Contr. 2. c. 11. p. 207. §. 7.

10. Scriptura ſacra eſt *unica & ſola* omnium Controverſiarum de fide, & moribus *Norma & Canon.* Pſal. 19. v. 5. Gal: 6. v. 16. Philip: 3. v. 16. plur. vid: in *Præfat. Corp. Pruten:*

Contra Pontif: clamantes: Scripturam non debere pro Norma agnoſci, & vel ſi agnoſcenda ſit, non ſolam tamen, ſed cum traditionibus. *Bellar:* l. 4. d. V. D. c. 4; 12. f. 254. *Lindan:* d. opt: interpret. ge. *Becan:* d. judic. contr. p. 10. *Collocutor. Ratisb.* ſeſs. 11. p. 325. *Greg. de Valent.* ſuper Thom: diſp: 1. Quæſt. 1. punct. 7. §. 42. 43. & Analyſ: l. 8. c. 5. *Loſſæ.* lib. 2. c. 2. p. 43.

Contra *Calvinian: & Photinian:* qui articulos fidei non ad ſolam Scripturam, ſed etiam ad rationem humanam exigere ſolent.

11. Scriptura S. eſt omnium Controverſiarum de fide, & moribus *Iudex Normalis*, Summo

ipſi

ipsi Spiritui S. subordinatus. Hebr: 4. 12. Deutr: 17. 19. Psal: 19, 12. Psal. 119. v. 149. & 156. Joh: 12. 48 Rom: 2. 12. 16. Apoc. 20, 12.

Contra *Pontific:* in partem negativam descendentes in act: Colloq: Ratisb. sess. 7. p. 168. usque ad sess: 10. cum *Bellar:* l, 3. de V. D. c. 9. *Huntl.* Contro. 1. de V. D. c. 20. f. 100. Substituentes nunc Ecclesiam in genere *Huntl.* Contr. 2. de Eccl. c. 17. nunc Concilia & Patres: *Gloß:* Jur. Canon. dist. 19. cap. Anast. *Alphons:* d. Castr. l. 1. hæres: c. 4. nunc Papam cum Concilio; nunc Papam solum, teste *Bellar:* l. 3. d. V. D. c. 3. Atque postrema sententia hæc est frequentata apud Pontif: ac Communis, ex Colloq: *Ratisb.* sess, 1. & 7. *Bellar:* l. 4. de Pontif: Rom: c. 1. *Gregor: de Val:* lib. 6. Anal. c. 4.

12. Scriptura S. est *organon vel medium* Spiritus S. ad producendos effectus supernaturales, spirituales, ac salvificos, efficacissimum. Nam 1. mentes illuminat, Psal: 19. v. 9. Act: 26. v. 18. mysteria fidei intelligere faciens, Eph: 3. v. 9. Hinc vocatur lucerna, Psal: 119. v. 150. 2. Pet. 1. v. 19. 2. Cor. 4. v. 4.

2. Corda convertit, emollit, flectit, ac penetrat, Psal: 19. v. 8. Hinc vocatur Ignis, & malleus Dei, Jer: 23. v. 29. c. 20. v. v. 9. gladius anceps, Heb. 4. v. 12. Ephes: 6. v. 17.

3. Ecclesiam gignit: Hinc vocatur Semen, & quidem incorruptibile, Matth: 13. v. 19. Mar: c. 4. v. 14. Luc: 8. v. 11. 1. Cor. 4. v. 15. & 1. Pet. 1. v. 23. Jacob: 1. v. 18; agrum insuper humani pectoris

fœcun-

fœcundum, ac fertilem reddit, instar nivis, & imbris, Esa: c.55.

4. Vivificat: Hinc vocatur Verbum vitæ æternæ Act.5.v.20. Philipp.2.v.16. Joh.6.v.68. Spiritus, & vita v.63. Sermo vivus, Heb.4.v.12.

5. Fidem procreat, Rom.10.v.17. Joh.17.v.20. Hinc vocatur Verbum fidei, v.8. Eph.1.v.13.

6. Spem, & consolationem parit, Psal.19.v.9.10. & 119.v.50.92. Rom.15.v.4. Ephes.1.v.13. Hinc Verbum Dei dicitur esse dulcius favo & melle, Ps.19,13.

7. Purificat, ac mundificat corda, Joh:15.v.3. Hinc vocatur Lex Domini munda, & immaculata, Ps.12.v.7. Psal:19.11,12,13.

8. Salvat, 1.Tim:4.v.16. Hinc vocatur potentia Dei ad salutem, Rom.1.v.16. 1.Cor.1.v.18 21.c.15.v.2. Jacob.1.v.21. nec non Verbum salutis, Act.13.v.26. Eph.1.v.13.

9. Obsignat corda nostra Spiritu promissionis sancto, Eph:1.v.13.

17. Contra 1. *Schwenckfeldum*, qui plus quam centies Scripturam sacram Verbumque DEI quod prædicatur, & auditur, Efficax esse pernegat; Deoq; salutares operationes in hominibus sine omni externo medio adfingit.

2. *Pontificios*, quorum pleriq; Scripturam S. vocant mortuam sine traditionibus, *pleriq;* instrumentum mutum, *pleriq;* literam occidentem, *pleriq;* insuper Script.S. ceu rem *perniciosam*, adeoque ex Ecclesia *exterminandam*, blasphemè clamitant.

Con-

3. Contra *Calvinianos*, duplicem errorem circa Efficaciam Scripturæ S. errantes, 1. Cum *Schwenckfeldo*, idq; vel Directè 1. Schwenckfeldi scripta, & sententiam *commendando*. Fecit hoc *Zwingl*. in Epist: commendatoria, præfixâ tractatui Schwenckfeldi. A. 1528. fecit idem Iohan: *Oecolampad*. Basil. qui A. 1527. libellum *Schwenckfeldi* de cursu Verbi Dei prologo suo ornavit, ac publicum fieri curavit, ubi adnexa legitur senten: Oecol: planè Schwenckfeldiana: 1. Bona spiritualia non conferri per externa media f. 337. 2. fidem, & salutem non oriri ex Verbo Externo. 2. Efficaciam Scripturę S. stilo & sensu Schwenckfeldiano prorsus *elevando* ut Gocl: lib. 1. proble. Logic. problem. 24. 3. Schwenckfeldii Enthusiasmos *commendando*, ut *Bucer*. in præfat. super Epist. ad Ephes. 4. Verbo DEI externo efficaciam *detrahendo*, uti *Oecolampad*. lib. de Verbo Dei Anno 1527. *Zwingl*. in Confess. Carol. V. A. 1530. exhibitâ; & in Colloquio Marpurg: A. 1529. *Bucer*. in Commentar: super Johan: *Beza*. part. 2. Responsi: ad act: Colloq: Momp: p. 116. 117. *Iac. Gryn*. in disp: Heidelberg: A. 1584. thes. 6. aphor. 4. *Paræus* in Exeges. doctrin. Palatin. *Martin*. tract: 1. de Verbo Dei, c. 1. p. 17. & lib. 3. Catech: c. 3. p. 623. *Ravensperg*. Disput. de aurea salut. Caten. Quæsit. 1. *Piscat*. in amicâ Duplic. Vorst. part. 3. p. 390. Disput: Vol. 1. loc. 1. disput: 2. thes. 5. cum *Calvino* lib. 1. Instit. c. 2. §. 80.

18. Vel *Indirectè*, in probatione articulorum

fidei Verbum DEI *deserendo*, ac ad visiones, revelationes, & somnia provocando: ut *Carolostadius* fatetur in libello suo edito A. 1524. de sensu verborum cœnæ. *Zwingl.* in subsidio Eucharist: Tom: 2. 2. Certitudinem Electionis, gratię DEI, ac salutis, ab occultâ revelatione *suspendendo, &c.*

19. *Alter* Calvinianorum Error circa Efficaciam Script:S. est, proprius ab absoluto prædestinationis, & reprobationis decreto dependens; quatenus omnem Efficaciam Scripturæ S. ad solos Electos restringunt. *Keckerman: Piscat. Alsted. VVendelin.* locis Membro 2. circa Script: finem, Axiom: 2. allegatis.

20. 4. Contra *Fanaticos*, quales sunt *Anabaptistæ, Theophrastistæ, Fratres Roseæ Crucis*, ac *Enthusiastæ, VVeigelius* insuper, isq; instar omnium, & non solum heîc errat cum Pontificiis, sed etiam cum *Schwenckfeldo* per omnia fermè.

21. 5. Contra *Schismaticos* qvosdam, ac imprimis M. *Rathmann: Ministrum Dantiscanum*, qui inter reliqua paradoxa de Scriptura S. etiam illud morosè urget, quo Scripturæ sacræ, vel Verbo DEI externo, Efficaciam detrahat. Licet enim præter *Objectivam*, etiam *Effectivam* Scripturæ S. vel Verbo Externo tribuere videatur operationem; adeò ut de injuriis sibi illatis, contra nostrates, utpote objectivam operationem tantùm modò ex mente ipsius interpretantes, aliquoties protestetur.

22. Ve-

22. Verumtamen, si mens *Rathmanni* probè expendatur; nè tantillum quidem operationis *Effectivæ* Scripturæ S. ab eo relinqui, certo certius erit. Id quod Hypotheses ejus ex *Schvvenckfeldi, VVeigelii,* aliorumq; *Fanaticorum* Scholâ desumtę ad oculum evincunt. Negat enim Scripturam sacram (quatenus talem) in materiali, formali suo consideratam, *in se,* & *per se,* ultra *objectivam* operationem assurgere. In *Copia Demonstr.* p.3.A.§.3. Confer in *Quæstion: remiß.* ad Quæst.5.p.22.& ad Quæ.6.p.25.26.Bedenck.p.89.

Ubi notand: 1. Scripturam S. à Rathmanno considerari, non secundum Materiale *solum, in characteribus, apicibus, ac literis consistens; sed etiam secundum* Formale, *adeoq;* in concreto; *imò insuper in usu lectionis, & cognitionis, quatenus non modo â piis; verum etiam ab impiis, imò ipso* Diabolo *legitur, ac cognoscitur: alias enim extra usum, hæc de impiis, &* Diabolo *dici non possent:* Deinde *quia de lumine objecti statuit, quod hoc in* Diabolos *& impios cadat: Atqui lumen illud non est sine Scripturæ sensu uti loquitur* Rathmann. *Ergo etiam Scripturæ sensus in eosdem cadit. vid.* Quæst:remiss.*p.*25. *&* 26. Bedencken. p.89.*&* 113.

2. *Scripturam* in concreto *consideratam (h.e. ex Materiali, & Formali compositum quid) non habere potentiam sibi intrinsecè inditam â Spiritu S. producendi effectus supernaturales, ac salvificos; adeoq; non assurgere ultra operationem* objectivam, in se, ex se, *&* per se: *Nam illa potentia supervenit Scripturæ S. ceu Enti jam in actu constituto, in morem accidentis, ob ex-*

trinsecam Spiritus S. ceu causæ principalis aßistentiam, qui tum demum Scripturam S. ceu Instrumentum sibi subordinatum, ad effectus supernaturales, spirituales, ac salvificos producendos, elevat, exaltat, inq; vivam operationem deducit ; ad quos Scriptura S. suâ virtute internâ nativâ, sibique inditâ ceu propriâ in Quarto *modo, est prorsus impar, & improportionata:* vid. Quæst:remiss. p.22. Cop.Demonstrat. p.2.B. Bedenck. p.31. & 32.

3. *Scripturam S. vel Verbum* DEI *Externum, ad hanc supernaturalem Efficaciam â Spiritu S. elevari beneficio* Luminis subjecti, *quod* Rathmann: *vocat* principale, *ad differentiam* Luminis objecti, *quod* Rathmanno *est* Instrumentale: *Hoc porrò ex mente ipsius est Scripturæ proprium, & innatum: illud verò* adventitium. *Hoc nimirum objecti in collatione mutuâ est* obscurum; *illud verò vid: subjecti, est* clarum; *Hinc Lumen Subjecti ex* sentent: Rathmanni, *duplex subit officium* 1. *Lumen objecti, vel Instrumenti* Scriptur. S. Clarum reddit (*Ergo Scriptura objecti Lumine prædita, erit obscura*). 2. *Intellectum* illuminat, *quo lumen Scripturæ arripiat, & apprehendat.*

Talia inculcat in præfat. vom Gn. reich/ B.1.p.2. im Bedencken. p.40.105. *Item.* p.97. & 98.

4. *Hinc concludit: in actu conversionis, illuminationis, regenerationis, &c. Spiritus S.* Lumen illud Subjecti, vel Gratiæ, ordine naturæ antevertere Scriptur:S. salutariter intellectam. In Quæst:remiss. p.32. im Bedencken. p.90. & 91. *in* Copia Demonstr. p.4.B. in præfat: vom Gn. reich/ B.3. f.B. §.3

23. Nos primâ notâ extra dubitationis aleam

posi-

positâ, eâq; alibi fusius probatâ, reliquas tres hypotheses *Schvvenckfeldianas*, & *Hæreticas* indubitatò pronunciamus.

24. *Secundam* enim quod attinet; *Primò* falsum est: Scripturam S. non habere potentiam sibi intrinsecè inditam à Spiritu sâncto producendi effectus salvificos.

Contrà Quicquid est 1. *potentia* DEI ad salutem, Verbum *Vitæ, Spiritus, & vita*; sermo *vivus*, & *efficax*; *ignis, flamma, lucerna*; *semen* immortale homines regenerans; *Sermo* DEI viventis; illud habet potentiam sibi intrinsecè inditam à Spiritu S. producendi effectus supernaturales, & salvificos. *Ratio* copulati: fundamentum quippe omnium ejusmodi denominationum est intrinsecum: uti cuivis in propatulo, rectâ ratione prædito. Atqui omnia illa prædicata attribuuntur Scripturæ S. uti suprà Theorem: 12. probatum. E. 519

25. *Deinde* falsum est, Scripturam *in se, ex se*, & *per se*, non assurgere ultra operationem objectivam. *Contrà*: illuminatio, conversio, regeneratio, vivificatio, fidei procreatio, ut & spei, & consolationis; cordis purificatio, ac mundificatio, salvatio, obsignatio, &c. evincunt operationem effectivam. Atqui Scriptura S. illos effectus producit ex potentiâ sibi congenitâ, & intrinsecus à Spiritu S. inditâ; uti modo evictum. E. Scriptura S. in se, ex se, & per se assurgit ad operationem ultra objectivam, etiam ad effectivam.

26. *Tertiò* falsum est, potentiam illam supernaturalem, supervenire Scripturę S. vel Verbo

DEI, ceu Enti jam in actu completo constituto, in morem accidentis. *Contra:* Quicquid Verbum DEI,*quâ Verbum* DEI,ac Scripturam S. *quâ Sacram* constituit; 2. ab alio Verbo quovis sive *Angelico*, sive *humano*; nec nō Scripturâ S.à quâvis alia sive *profanâ*,sive *Ecclesiasticâ* distingvit, & 3. sine quo Verbum DEI, *quâ tale*, ut & Scriptura S. *quâ talis*, rationem Verbi DEI, ac Scripturæ S. amittit; illud falsò statuitur supervenire Verbo DEI, vel Scripturæ S. forinsecùs in morem accedentis. Atqui potentia illa supernaturalis Verbum DEI *quâ tale*, & Scripturam S.*quâ talem* constituit. Ubi non sufficit materiale, & formale qualitercunq; acceptum; sed θεόπνευστον, divina, potentiâ, spiritu, ac vitâ præditum. 2. â quovis alio Verbo, ac quavis Scriptura distinguit, 3. & sine quâ nec Verbum DEI; nec Script:S. vel cogitari potest. E. potentia illa supernaturalis falsò statuitur Verbo DEI, vel Scripturæ sacræ accidentalis.

27. *Quartò* falsum est, Scripturam S.esse principium improportionatum ad effectus supernaturales,ac salvificos producendos; ita, ut horum respectu mortuum, & exanime videatur, citra Spiritus sancti elevationem. *Contra:* principium θεόπνευστον, quod aliàs potentia DEI ad salutem; Verbum vitæ, Spiritus, & vita vocatur, & est; Cacodoxè æstimatur improportionatum ad effectus supernaturales producendos. Talis verò dicitur, & est Scriptura sacra 2.Tim:3.v.16. & aliis in locis. E.

28. Rivuli isti errorum in prima hypothesi, ex

ex hoc veluti fonte communi derivantur 1. quod *Rathmannus* præter *Materiale*, & *formale* in Verbo DEI, vel Scriptura S. qualitercunq; acceptum; de *requisito nobiliore* non sit sollicitus, vel id non admittat. 2. Quod non distinguat inter Verbum DEI, ac Scripturam S. & postmodum inter Verbum, ac Scripturam *in communi*. 3. Quod *Scripturam* S. ac Verbum DEI pro Instrumento bruto passivo habeat Spiritus S. instar *securis*, & *canalis*. 4. Quod non distinguat inter *efficaciam* Scripturæ seu Verbi DEI, ejusq; *effectum*. *Hic* Scripturæ S. contingens est, & *accidentalis*; *Illa* vero eidem est *intrinseca*, necessaria, essentialis, ac perpetua. 5. Quod non agnoscat Scripturam S. vel Verbum DEI, in se ac per se esse non modo principium *cognoscendi*, vel μαθήσεως unde oritur operatio *objectiva*; verum etiam *constituendi*, sive praxeos, vel γενέσεως; unde oriatur operatio *effectiva* supernaturalis.

29. *Tertiam* Hypothesin in quantum attinet; etiam falsum est: *Primò* scripturam (vel verbum DEI) præditam esse lumine tantum *objecti*, vel Instrumentali. *Contra*: Scriptura S. unico lumine est prædita, quod ratione graduum illumination: differt; nequaquam vero ut minus *principale*, vel *principale*; uti enim unus scripturę *sensus*: Ita *unum lumen* revera; non duplex scripturæ S. est statuendum.

30. *Secundò*, falsum est: Lumen objecti esse obscurum, adeoque illuminati à Lumine adventitio Subjecti: *Contra*: Scriptura Sa-

cra nullâ indiget illuminatione: ipsa enim per se lucet in obscuro loco, 2. Pet:1. vers. 19. Sicuti Sol nullâ indiget collustratione superiore, nulla n. talis datur: Rectè autem oculi mentis nostræ dicuntur illuminari; sed non alio lumine, quam quo scriptura sacra intrinsecè est prædita.

31. Πρῶτον Erroris hujus ψεῦδος hinc est, quod *Rathmannus* Script. S. lumen æque comparatum esse sibi imaginetur, uti se habet lumen aliquod *Externum* vel *naturale*, vel *artificiale*, vel *medii*, vel *objecti*, sed *falsò*. Nam nullum lumen Externum una operâ, & objectum illuminat, & simul vim videndi in subjecto v.g. excœcato conciliat. *Contra*: Verbum DEI *simul* est lumine proprio præditum, Scripturaq; S. in se perspicua, lucerna vel lumen: est etiam medium, potentiam excœcatis oculis hominum videndi concilians, Psal:19. v. 9. Lex Domini dicitur illuminare oculos. Sicuti supra dictum est, Scripturam S. non tantùm esse semen; sed etiam terram reddere ex sterili fœcundam instar ignis, nivis, imbris; pluviæ, & roris.

32. Quare procul facessere jubemus *Rathmanni* similia illa *Schvvenckfeldiana* ab *imagine*, *Nube* & *Statua Mercuriali* desumta, quibus ille Scripturam S. æquiparat. Nam licet *imago* faciem Regis repræsentans, prædita sit lumine aliquo: ita tamen comparato; ut tùm de se lumen spargere nequeat, sine lumine adventitio forinsecus; tùm in oculis cæci nil intrinsecus luminis operetur. Id quod facit Scriptura S. extrinseci

ſeci luminis nullatenus indiga: ſed proprio in ſummâ copiâ abundans, inſtar Solis. Quo pacto etiam *altera ſimilitudo* à *Nube* deſumta ſuâ ſponte profligatur. Hæc enim in ſe obſcura eſt, multò minus videndi potentiam cœco confert. Script. verò S. tùm in ſe eſt lucida, & perſpicua, mutuatitio lumine neutiquam indiga Solis in morem; tùm cœcis potentiam videndi confert. *Paritèr ſtatua Mercurialis* ſolummodò eſt *ſignum*, ultra uſum monſtratorium non aſſurgens, usque ad potentiam nimirum ambulandi indendam viatori. Scriptura verò S. utrumq; expedit, & viam monſtrat, & vires ambulanti ſufficit.

Quoad *Quartam* hypotheſin: falſum eſt quoque: in actu converſionis, illuminationis, regenerationis, &c. Lumen Gratiæ Spiritus ſancti ordine Naturæ prius eſſe & operari, quàm lumen ſcripturę, vel ſcripturam ipſam ſalutaritèr intellectã: *Contra*: Lumen Gratiæ ſive ſubjecti Spiritus S. non eſt diverſum à lumine ſcripturæ S. ſed unum ac idem. Ergo nil heîc antecedit, nil ſequitur; non ſolùm ſecundùm prius & poſterius *tempore*; ſed etiam Naturâ: atque ita Lumen *Gratiæ* ante vertere ſtatuendum eſt, non ſcripturam ipſam; ejusq; lumen; ſed mentem hominis nondum illuminati nec converſi. Quò referri debet illud *Auguſtini* de Gratiâ præveniente, non Script: S. ſed ſubjectum in ſtatu iræ, & peccati conſtitutum.

33. Πρῶτον Erroris ψεῦδος, quo hæc Hypotheſis nititur, inde eſt, quod Scriptura S. in ſe, & per ſe, extra Spiritus ſancti lumen gratiæ, in morem

rem alicujus instrumenti separati, à *Rathmanno* consideretur: quod postmodum ad actum conversionis, & illuminationis, Spiritus S. assumendo, sibiq; subordinando, ex immobili, reddat mobile; ex inanimato reddat animatum, inque vivam operationem deducat, uti loquitur *in Quæ. remiß. p.* 31. 32. *Demonstr.* Cop. p. 4. B. *in præfat.* vom Gn. reich / B. 3. *fac.* B. §. 3. im Bedencken. *p.* 90. 91.

34. Sed *falso*, Namq; impossibile est nominari, nedum dari Scripturam S. extra lumen Gratiæ, 2. Crassum, & ἀθεόλογον est Scripturam S. Instrumentis separatis, ac brutis adnumerare: 3. *Fanaticum* est, ac *Schwenckfeldianum* fingere: Scripturam S. spiritu, ac vitâ destitui; ac quippiam exanime, & mortuum esse, sine præveniente lumine gratiæ.

35. Atq; hæc etiam de Efficacia Scripturæ S. sensu orthodoxo in medium attulisse sufficiat, commemoratis, ac refutatis partis adversæ palmaribus Hypothesibus: Examen plenius, *tùm* harum, *tùm* aliarum Hypothes. v. g. de Verbo Dei *Externo*, ac *Interno, &c.* ad suum locum differimus. Hinc deducimus consectaria 1. Script: S. tùm esse principium cognoscēdi, ac medium articulorū omniū de fide & moribus; tùm 2. gignendi effectus salvificos; contra Pontificios, traditiones Ecclesiæ pro principio cognoscendi venditantes. 2. Scripturā S. esse omnium de fide ac moribus fundamentum primarium universale, immediatum. Normale tamen Eph. 2. v. 20. contra Pontif: suas traditiones crepātes. *Huttl: com. 2. de Eccl. c. 10. &c.*

ΤΕΛΟΣ.